CAPUT V. & ultimum.

De Igni.

HUjus consideratio statim aëri subjungitur 1. quia communiter Philosophi naturales statunt ignem elementum quoddam peculiare esse supra aërem inter cœlum videlicet & aërem, mole amplissimum, qualitate calidissimum, siccissimum, levissimum, tenuissimum, longè subtilius & purius aëris suprema regione, minus tamen, quam cœlum in orbem mobile unâ cum cœlo ob vicinitatem, sursum autem mobile, etiam supra omnem aërem, si extra locum suum naturalem fortè constiterit. De qua sententia utut vulgatissimâ, & manifestis etiam Philosophis arridente, quid exactiori rationis trutinâ æstiman-